

Biogr. er. D

1569,62







RECTOR  
ACADEMIÆ LIPSIENSIS

ad  
EXUVIAS

*Fœminæ Piissimæ, Castissimæq;*

MARTHÆ

Natæ CORTHUMIÆ,

*Viri Eximii atque Clarissimi,*

DN. WERNERI FABRICII,

Musici famigerabilis

Uxoris longè desideratissimæ

*borâ I. ad Tumulum suum deportandas*

CIVIUM SUORUM

Comitatum

quàm humanissimè exposcit.



Biogr. erud.

D. 1569, 62

*W. Erud. fong. — Voh. Fa*



ALBERT

LEONHARD

ALBERT

ALBERT

ALBERT

ALBERT

ALBERT





**G**ermani tristem & illætabilem rei even-  
tum indicaturi, rem in Lami definere pro-  
verbialiter ajunt. Nec inusitata planè par-  
œmia hæc Latinis est, quippe quâ non se-  
mel utitur recens Scriptor Burgoldensis  
in Notitia Imperii; (quanquam idem au-  
tor incomti & non satis latini sermonis jamdudum est  
postulatus.) Ex Musica nempe deprompta hæc phra-  
sis est, quemadmodum & tralatitium illud: *In fine videbi-  
tur, cujus toni.* Si Garzonem, Italum Historicum, audire,  
quis velit, locutio adagialis illa Jalemum redolet, Callio-  
pes filium, qui cum frigidus ineptusque in carmine fue-  
rit, proverbio & ipse locum dedit, quod non de cantione  
absonâ tantum, sed & de joco & argumento quovis in-  
concinno dici solet: ἰαλέμυς ψυχρότερη, h. e. *Jalemo frigidior.*  
Nimirum Germanos Cantionem Jalemi non satis in-  
telligentes, exinde Lami illud conflâsse Italus narrat,  
non sine naso satyrico. Verum non obtusa adeò pe-  
ctora Germani nostri gestant, ut phrasin illam à fabulo-  
so ac plerisque ignoto Jalemo arcessant. Nam uti per-  
spectas optimè cognitasq; habent notulas, quas ex Sap-  
phico Pauli Diaconi Carmine, in honorem Johannis Ba-  
ptistæ scripto, Gvido Aretinus, Italus, Clavibus Musicis  
imposuit, ita minimè ignorant, La & mi, si coincidunt,  
tanquam toni Phrygii & Hypophrygii repercussionem,  
absurdum quendâ & lamentabilẽ sonũ conficere. Neq;  
Garzon ipse inscitiam suam in Musicis non prodit, quem

*in Theatr.  
universal.  
disc. 42. p.  
513. Edit.  
Germ.*



Sermon. Fi-  
del. c. V.

tamen vel conterraneus Gvido natales proverbii illius docere poterat. Sed quicquid hujus sit, illud certum est, hanc phrasin Musici quid spirare, nec nisi de infauſto, lætisque ac magnis iniitiis non respondente exitu usurpari. Quæ cum ita sint, non errabimus, si ad vitam humanam id *πολυθρηνητης* applicemus. Etenim & hæc tandem in Lami exit, sive lamenta Consanguineorum spectes, sive gemitus ipsos morientis, & ultimum, quod adstantibus acclamat, Vale. Quanquam si scapha scapha appellanda est, vita Christianorum universa nihil aliud est, quàm Musica pl9 toni Phrygii, quàm Jönici resonans. Neque secus quid factum in vita sanctissimorum Virorum. Nam *si lyra Davidis aures prabeas* (verba sunt Anglorum Socratis, Verulamii) *plures invenias threnos, quàm exultationes; quemadmodum & Spiritus Sancti calamus, eodem dicente, diffusius tractavit Jobi afflictiones, quàm felicitatem Salomonis.* Neque alium hodieque tonum penes illos exaudias, qui pietati se devovere, perque angustias mundi hujus ad augustam æternæ beatitatis arcem entianimum induxere. Exemplo esse, nunc quidem, potest Fœmina piissima castissimaque Viri Eximii Clarissimique DN. WERNERI FABRICII, Musici famigerabilis Uxor longè dulcissima. Nam & hæc, quò defixior erat in DEO sibi propitiando, hóc duriores etiam calamitates persentiscebatur, ut cū Davide plus threnorū quàm jubilorum edere haberet necesse; cumque vitam non longissimam in hac miseriarum valle duxisset, tandem & ipsa in Lami exiit, & Marito dulcissimo non nisi lamentabile, seu, Sidonii verbo, cruciabile desiderium reliquit. Quanquam quid in Lami exire vitam illius dicimus, quæ precibus & cantionibus nunquam non vacavit, utq; Choris Cherubinac Seraphinis propediem jungeretur, sitientissimè anhelavit? Lamentabilis istorum  
rum



rum mors, quorum in finem Virgilianæ Æneidos  
finis conquadrat:

*Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras;*  
non item illorum, qui incessanti divinæ majestatis  
præconio, Cœlestis Muficæ Candidati fiunt, vi-  
tamq; tandem cum Simeone, sanctissimo illo cygno,  
lætabundi concludunt. *Super omnia enim (iterum lo-*  
*quimur cum Verulamio) s̄v̄avisimum Canticorum est illud,*  
*Nunc dimittis; cum quis fines suos, & expectationes honestas affecu-*  
*tus fuerit.* Sed quorsum nos Angelicus ille scriptor,  
(Anglicum dicere volebamus) abduxit? Ad FA-  
BRICIAM revertendum, vitæque quantæcunque  
cursus vel brevissimis pro more exponendus. Patri-  
am fortita est Bergersdorffium inferioris Saxoniae op-  
pidum A.E.C. MDC. XLIV. d. XX. Januar. fata ex  
Viro perquam Reverendo & Clariss. M. JOHANNE  
CORTHUMIO, Pastore loci ejusdem vigilantissimo,  
sed ante decennium hoc ad júbila cœlestia jam subve-  
cto, & matre MARTHA, pudicissima BERNHAR-  
DI HARTMANNI, Mercatoris Bergersdorffensis filia,  
quæ non sine lamentabili voce filiam ad Conditorium  
suum jam comitatur. Sed in ipso ortu instrumento  
Musico non dissimilis erat, quod reparatione & redin-  
tegratione habet opus. Licet enim homo eum po-  
tissimum in finem creatus à DEO esset, ut tanquam  
*ὄργανον ἀρμονικώτατον* laudes DEI resonaret; corruptus  
tamen fraude diaboli, confractusque sic fuit, ut nihil  
quicquam bonæ melodix possit edere. Potest autem  
renovari homo, & ad harmonicam veluti concordiam  
componi in baptismo à reparatore generis humani  
CHRISTO instituto. Quo cum CORTHUMIA im-  
buta esset, mirum, quam pios, quamque dulces indies

Serm. Pi-  
del. c. II.



de se sonos præbuerit. Omnia enim, præter elegantem membrorum symmetriam, in animo sic composita erant, ut omnium penè virtutum harmonicò veluti concentus audiretur. Quo excitus & Celeberrimus Musicus WERNERUS FABRICIUS, non aliam, quàm CORTHUMIAM hanc verticordiam associari sibi voluit. Et verò divinâ providentiâ factum, ut quæ harmonia omnium virtutum ac decentiarum quædam erat, Harmostæ excellenti matrimonio jungeretur. Nuptiæ ipsæ celebratæ sunt Bergersdorffii, A.LXV. d. III. Julii. quas & harmonicum conjugium excepisse nemo ignorat. Nam & animi ipsi mirificè inter se consonabant, & castissimus FABRICIÆ uteris Musici quid edebat. Ambrosius, de Matre Maccabæorum inter alia sic perorat : *Spectabat læta filiorum quot funera, tot trophæa, & morientium vocibus, tanquam psallentium cantibus delectabatur, pulcherrimam ventris sui citharam cernens, & pietatis harmoniam, omni lyræ numero dulciorem.* Licebit & nobis de FABRICIA hac pronunciare, quod pulcherrimam ventris sui citharam viderit, & pietatis harmoniam omni lyræ numero dulciorem. Quid enim infantes piorum aliud, quàm Musici DEO longè acceptissimi? quippe ex quorum ore, Davide teste, DEUS sibi laudem comparavit. Horum tres ex utero castissimo protulit, duas videlicet filias, MARIAM ELISABETHAM & MARTHAM, nec non filiolum unicum, JOHANNEM ALBERTUM. Sed neque in hoc Conjugio Cœlum, ut habet Germanorum proverbium, panduras pendulas semper exhibuit. Cum enim post Hymenæum vix concinere omnia ac conquadrare optimè cœpissent, obitus filiæ primogenitæ & lamenta & gemitus & singultus induxit.

AC-

l. 1. Offic.  
c. 41.



Accedebant postmodùm & aliæ calamitates, quæ ad threnos & ἰαλέμους potius, quàm ad júbila & exultationes animos commovebant. Denique & morbus contumax ingruebat, qui funestum vitæ exitum, imò lamentabile Lami illud non obscure præmonstrabat. Morbi anteambulo erat tussis arida, & calor quidam obrepens, qui, frustra adhibitâ Medicinæ ope, vires corporis depavit paulatim absumpsitque. Spei equidem non nihil, post elegantissimam ante decem has hebdomadas editam filiolum, affulgebat. At verò cum tussis in vehementem & inexpugnabilem abiret febrim, non erat, unde spes ulterior de convalescentia ejus enasci potuisset. Sed quid FABRICIA Nostra? Ne in morbo quidem à Musica sua, h. e. à calidissimis suspiriis, à sanctimoniâ cordis, & amore DEI revocari se patiebatur. (Nam

*Non vox, sed votum, non Musica chordula, sed cor,  
Non clamor, sed amor clangit in aure DEI.)*

Cumq; sacrâ Synaxi devotissimè usa esset, d. XXII. Novembr. concentum illum animæ & corporis abrumpebat, cœlestiaque gaudia illa, ubi Angeli nova Cantica cantitant, & nolæ (ut cum Petro Dresdensi ex Hymno Natalitio loquamur) in Regis Curia tinniunt, quàm felicissimè inchoabat. Et ò beatam illam, imò millies milliesque fortunatam! Infelicem verò Maritum cum tenera sobole! Quem & non monere non possumus, ut lyram illam cum Davide pulsare ne omittat, quâ fretus DEO suo, nec cœlum nec terram, imò nec corporis animæque deliquia se curare dixit. *Canendum enim cum Davide, (Mathefii hoc dictum est) quamvis cantus ejus aliquot clavibus sit altior. Nam & Bassis*

*stis*



*stis hic opus est.* Cæterum iusta Exuviis castissimis  
hodiè horâ I. solvenda sunt; quo in officio cum Nos  
quoque consonare lex & pietas jubeat, Vos, CIVES  
HONORATISSIMI, adesse funeri sic meminertis,  
ut in fine quoque hic Actus tibi sit minimè absurdi,  
aut in Lami exeat. Nam, secundùm Joachimi Ca-  
merarii, Lipsiensis olim Calliopes, versiculum:

*Omnia tunc bona sunt, clausula quando bona est.*

PP. Lipsiæ d, XXV. Novembr, A.E.C.  
M,DC. LXXIV.

*Literis Colerianis.*









